ASTROLOGUS CHRISTIANUS COMETAS

insolitæ figuræ stupens, horrens
& non subsannans.

Exhibitus

à

VIRO

NOBILISSIMO, CLARISSIMO, CONSULTISSIMO,

DN. ARNOLDO MAURICIO
HOLTERMANNO,
J.U.D. Consiliario Hassiaco & Pandectarum
Professore Ordinario.

RESPONDENTE
JOHANNE CHRISTOPHORO
THEOPOLDO, Blombergâ-Lippiaco.

Largire nobis ô T.O.M. Deus, gratiam tuam, ut cognoscamus nostræ visitationis tempus & dies nostros circumspiciamus.

Ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ Amen.

Ad diem Febr. 1681. H. L. Q. S.



MARBURGI CATTORUM,
Typis Johannis Henrici Stockenii.



PRÆFATIO.



ORbi universo fulsit nuperrimè, per tot septimanas & dies, forte fulget adhuc insolitum Sidus, quod non sine stupore, in libro naturæ, character enim hic est potentiæ atq; justitiæ tremendæ majestatis, omnes contemplati sumus, Mathematici, Theologi, JCti, Politici, Philosophi, docti, indocti, rustici & plebeji, quorum varia de hoc portento incidêrunt judicia: alii hoc sidus subsannârunt: alii observationem cometæ, metus vani ac superstitionis detergendæ ex animis hominum, accusârunt, & quasi ornamenti tantum causa in cœlo hoc sidus conspiciatur, nec boni quicquam nec mali eo portendi suaviter sibi imaginati sunt : alii aliter: *Cajo* ergo hic idem jus erit quod *Titio*, quare & nobis licitum libertate seculi nostri, remotis a-

liis opinionibus & omni perſonarum reſpectu, rem ipſam à fundamento inſpicere; indecorum enim eſt viro forti & prudenti, ut credulus nimium ſit, & non ſequatur quod ſana ratio & Sacra Scriptura dictitat. Recte alicubi *Baudius: nihil hoc facit ad Eloquentiæ & Hiſtoriarum*, (adde & Jurisprudentiæ Profeſſores,) *niſi quod homines noſtri gregis maximè convenit, habere ſanas de maximis rebus opiniones*, & alibi: *Facile cordatus Judex deprehendere poteſt,*

Quid ſolidum crepet & pictæ tectoria linguæ.

Thes. I.

COMETA à græco Κομήτης dicitur per ellypſin nominis ἀστὴρ: *Phyloſtrato* dicitur *Ep. 25.* ἀστὴρ Κομήτης. Uti & latinis ab apparentia ſenſuali & ſimilitudine appellatur, *ſtella crinita*, vel *ſtella cincinnata*: à Κόμη, id eſt, θρὶξ τῆς κεφαλῆς, capillus capitis: hinc κομήτης, comatus, ſeu qui alit promiſſos capillos, cæſariem; unde meteorum *Cometa* hoc nomen accepit: vulgò **ein Comet/ein Wunder-Stern**/ etiam Germanis dictus.

II.

QUi definiunt *Cometas*, debent ſaltem aliquo modo ſcire quid ſint: non enim entis nulla poteſt eſſe definitio: *Timpl. Apſychol. lib. 4. c. 4.* ita definit: *quod ſit meteorum ignitum in ſuperiore regione aeris ſtellæ imaginem præ ſe ferens: Clariß. Gisbertus ab Iſendorn Profeſſor olim meus in Belgio chariſſimus.*

vißimus, in physica sua speciali tractatu IV. c. 7. ita: *Cometa est meteorum ignitum, mixtum, ortum exhalatione sicca, viscosa, copiosa, ampla, arctè compacta, inque supremum aërem evecta, ibidemque inflammata, magnæ stellæ in omnes vel aliquas in partes radios suos spargentis, imaginem referens.* Ita definiunt à priori Cometam Cartesiani: *Est Sidus multis sibi invicem incumbentibus macularũ corticibus obfuscatum, vortice destructo ab alio adjacente fortiorique vortice abreptum, tantam soliditatem habens, ut non descendere amplius debeat propter adeptum motum, qui major est omnibus illis globulis ad quos pervenit, quin potius illo ipso in itinere descensorio sibi acquisito motu, non obtemperando gyrationi aut motui vorticis, rectissima quam fieri potest via ad alium proficisci vorticem, semperque ex vorticibus unis in alios per immensum mundum discurrendo, vires acquirere celerrimas. Eberh. Svveling: d. com. phœn. th. 63.*

III.

N*Athanael Carpentarius* negat sed contra plurimos Philosophos esse meteorum ignitum: Cometas sublunares negat *Tycho*, omnesque in æthere intra sphæras Planetarum locat, contra doctissimum *Fromondum. Aristoteles* universos sub Luna docuit nasci. *Anaxagoras* & *Democritus* putarunt, Cometas nil aliud esse quam concursum Planetarum & multarum congregatio stellarum: experientia enim testatur Planetarum congressum cum aliis stellis, v. g. quando Jupiter accedit ad stellam in Geminis, quando Saturnus se conjungit cum Jove, Mars cum Venere, non efficere Cometas: si efficeret, tunc singulis annis Cometas conspici necesse esset, nam sæpius conjunctiones harum stellarum recurrunt: imo nec diu conspici, nec diu durare posset Cometa, quia transcurrentium planetarum summa est velocitas, ut in Solis & Lunæ patet ecclipsi. *Pythagoras* volebat stellam erraticam esse, quæ

raro conſpiciatur, cum circa Solem inſtar Veneris & Mercurii volvatur, radiis plerumque tecta ſolaribus, quæque rarò, ſicut Mercurius tanto disjungatur à Sole ſpatio, ut poſſit conſpici. *Hippocrates*, & *Æſchilus* ejus diſcipulus putarunt ratione corporis, Cometam unum eſſe ex Planetis, ratione caudæ eſſe naturæ elementaris.

IV.

ALiter *Iſacus Voßius libro de lucis natura & proprietate* hæc explicat. *cap. 32.* contra *Nobiliß. Carteſium*: ubi promiſit, ſe Cometarum hypoſtaſin & conſtitutionem à nullo hactenus ſatis intellectam, traditurum: quod an præſtiterit Vir undiquaque doctiſſimus, nos latet: interea cometam ibi ſtatuit non phantaſticum aut imaginarium aliquod ſpectrum eſſe ſed verum corpus & verum ſidus quaquaverſum accenſum: errareque eos, qui putant ab uno ſaltem latere ardere & flammantem projicere comam: cum undique uratur Cometa, & undique ignem, vaporem & radios in orbem quam latiſſime ejaculetur: ſed quia in parte quæ ſolem reſpicit, à majori lumine obruitur & exſtinguitur Cometæ fulgor, ideo in parte tantum umbroſa quæ averſa eſt à Sole igneum iſtud tantum apparet capillitium. Si quis aliter judicet, ſuo is fruatur arbitrio, mihi inquit ne ſit invidioſum, noſtram expoſuiſſe ſententiam, donec certioribus experimentis aut ſublimium ingeniorum accuratiore indagine hæc ipſa clarius pateſcant.

V.

VEteres diſtinctionem fecêrunt inter *Cometam* & *Pogoniam*. Κομήτης dicebatur ſtella undique crinita vel comata ex omni parte: Πογωνίας verò ſtella barbata aut caudata, cujus radii in longum duntaxat aut unam partem porriguntur; πώγων enim barbam ſignificat: illa ſtella aliàs dictus *Cometes*

rotun-

rotundus, hæc *oblongus*, fuitque *barbatus* vel *caudatus*. Formas alias videmus apud Cometographos, qui horum historiam tanquam rem magni momenti & summè ominosam, quis audet negare? diligentissimè observârunt, non tantum in prima Ecclesia sed & in V. Ecclesia & veterum Gentilium monumentis, quæ non modicè hanc rem tangunt & futurarum calamitatum Cometas quasi nuntios exstitisse, ausi sunt ex ortu illorum & prædicere & postea ex eventu probare: Anno Mundi 3595. U. C. 398. apparuit Cometa in quo *jubæ effigies* in *hastam* mutata. *Plin. libr. 2. c. 25.* Anno U. C. 584. Cometa exarsit cui tributum nomen *Hirci. Sen. libr. 7. quæst. natur.* Anno Christi 66. Cometa *gladio flammivomo* similis imminebat in Judæa urbi Hyerosolymæ, qui excidium urbis sanctæ portendebat. Anno 73. apparuit Cometa, *à jaculi similitudine acontias* dictus: & alius iterum anno 633. visus *figurâ acinacis*, & alius in forma *lanceæ* anno 550. quando Roma capta à Totila & Hunni devastarunt Franconiam & Thuringiam.

VI.

SIne ergo turpissimo errore certi eventus ex Cometis possunt prædici, etsi nobis Cometæ accuratè satis quid sint, nondum sint cogniti: sunt enim ex eorum numero, quæ remotiora sunt à nostro sensu, ad quorum exactam cognitionem haud ita facilè pervenire possumus: omnis enim corporearum rerum cognitio dependet à sensibus: hi verò sæpissimè circa remotiora inprimis subjecta hallucinantur; quid ergo mirum si non adeo accurata aut exacta & perfecta Cometarum delineatio, quæ omnibus placeat, possit haberi aut etiam à nobis tradi: an exinde Cometis aut aliis cœli prodigiis nihil omnino portendi aut significari ullo ratiocinio inferri potest? Iridem novimus esse nullius prorsus efficaciæ aut

virtu-

virtutis, cum ſit meteorum apparens, natum in nubibus ex refractione luminis: nunquid propterea illam haud amplius divini favoris atque fœderis ſignum eſſe negabimus? an ea non amplius ideo præſignificari credemus terram aquarum diluvio perditum non iri? Ingeniis ergo modeſtioribus, nullo præjudicio occupatis hic quæ traduntur, ſi non in omnibus, ſaltem in quibusdam poſſunt ſatisfacere.

VII.

COmetæ ergo vocabulum hic ſumimus genericè pro ſidere extraordinario in cœlo apparente, quod radios ſibi, ſive ab una, ſive ab altera, ſive ab omni parte adjectitios refert: de hoc præſenti hac noſtra diſputatione videbimus, I. Originem ejus. II. Lucem. III. Motum. IV. Figuram & alias circumſtantias, & tandem V. de Cometarum effectibus & conſequentiis nonnulla ſubjiciemus problemata & quæſtiones: hoc ultimum præcipuum caput erit hujus noſtræ diſputationis, ut cum *Carolo* verè *Magno*, cum ante obitum ejus apparuiſſet ſingularis & terribilis Cometa, de quo conferens cum ſuo Eginardo Philoſopho, & mutationem regni mortemque ſibi illum portendere dicens, Eginhardus verò eum contriſtari nolens, adducensque locum Prophetæ dicentis, *à ſignis cœli nolite timere*: reſpondere devotè diſcamus: *Non aliud*, inquit, *timere debemus, niſi illum, qui noſtri & ſideris illius creator eſt: ejus clementiam laudare qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus admonere dignatur indiciis: imo cum talia portenta quando apparent, omnes communiter tangunt, omnes pro virili feſtinare debemus, ut miſericordiam in illo dominante conſequi valeamus*. Revera Deus mundum hunc universum aſpectabilem tanquam naturæ librum propoſuit homini contemplandum, ut homo mortalis agnoſceret in eo conditoris majeſtatem, divinitatem, bonitatem, ſapientiam, poten-

potentiam; sed annon erit maximus divini hujus Numinis contemptus, si extraordinaria ipsius opera oculis omnium objecta attente considerare aut contemplari susque deque habeamus. Gravissimè *Seneca libr. VII. natur. quæst. cap. 1. Nemo usque adeo tardus & hebes & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur ac tota mente consurgat, imprimis ubi novum aliquod è cœlo miraculum fulsit. Nam quamdiu decurrunt solita, magnitudinem rerum consuetudo subducit; ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sint, transeant: contra minimarum quarumque rerum, si insolitæ prodierint, spectaculum dulce fiat.* Et paulò pòst, *Sol spectatorem, nisi cum deficit non habet: nemo observat lunam, nisi laborantem. Keckermannus* præclarè in *Histor. Physica lib. 6. cap. 5. Barbaries inquit quædam est, hujusmodi signa, licet physicas habeant causas temerè aspernari, cum potius ita sint consideranda, non ut eximant animis pietatem, sed ut rectam & piam de iis sententiam nobis confirment, ut divinitus ordinata esse signa judicemus, quæ nos admonent, ut à Deo opem imploremus. Itaque pœnam non effugiunt illi qui has voces & faces Dei è cœlo concionantis rident; quandoquidem certum est, si ad peccata accedat securitas, pœnas divinas tum festinare, tum duplicari & exasperari.* Huc refero illud *Suetonii* de *Vespasiano* Imperatore, qui cum monstratus ei esset cometa dixit per jocum, prodigium hoc pertinere ad Parthorum Regem, quia prolixam aleret comam, ipse verò non esset comatus: sed paulo post exstinctus, suo exemplo docuit in ejusmodi Dei portentis & prodigiis lasciviendum non esse. Mala terrarum Orbi, nobisque etiam, ne de aliis loquar imminere gravissima, certissimum est: affluit peccatis in cœlum clamantibus Patria & Christi sanctissima sponsa, undique quasi iis oppressa exhibet lacrymantem faciem gemebunda & querula ducit suspiria: vitia perrumpunt quæ iram Dei accendunt, atheismus, idolo-

latria, ſabbathi profanationes, verbi Dei contemptus, adulteria item & ſcortationes, ebrietas, luxuria & innumera alia quæ longum eſſet referre. Vox Dei ſonat è ſuggeſtu, non deſunt hactenus, qui exclament gutture, nec qui cohibeant, qui tanquam buccina vocem extollant & indicent defectiones ipſorum: aſt quid fit? Verbum Dei plerisque ludibrio eſt & Præcones illius contemnuntur. Ad ſigna iræ ſuæ quæ oſtendit Deus inſolita prodeunt ſpectacula, ſed quis adhibet mentem? omnes cœci & ſurdi ſumus, qui nec clamantem Deum audire, nec cœlo comminantem videre aut intelligere volumus fatali hoc prodigio: quaſi verò faces ejusmodi extraordinariæ cœlo micantes vana ſint atque irrita duntaxat oculorum ludibria: quaſi ab ipſa natura non ſit impreſſum nobis inſolita ejusmodi ſpectacula, effectorum quoque inſolitorum eſſe prodigia? Stultorum Magiſtra experientia vel è Gentibus expreſſit, *Terris nunquam impunè ſpectatum Cometam*, quem nuntium alicubi magnarum calamitatum appellat *Cicero*. Non ergo qui prænuntios Cometas malorum aſſerunt, Deo obſtrepunt: veriſſimè olim à Regum ſapientiſſimo dictum. *Prov. 22. 3. Prudens prævidens malum abſcondit ſe, fatui autem tranſeuntes mulctantur*, ſed pergamus.

VIII.

ORiginem ergo Cometarum inquiſiturus, qui inter multa cœli phœnomena excellunt & admiratione digni ſunt, non placet nobis Peripateticorum opinio, qua docent eſſe illos meteora & impreſſiones ignitas, imo naſci eos in ſuprema aeris regione, ex exhalatione pingui, craſſa & conſtanti partibus bene coagmentatis, quæ evectæ magna in copia in ſupremam aëris regionem ibidem accenduntur & ignẽ concipiunt, vel à flammulis ex regione ignis decidentibus, vel motu exhalationum, vel antiperiſtaſi. Recentiores Aſtronomi, inter quos magno ſuo merito refero *Tychonem Brahæũ*

Come-

Cometas longe ſupra orbem lunæ fulgere variis oſtendit rationibus; aerea enim meteora, maxime ignita, non ſunt adeo conſtantia, facilè evaneſcunt, deflagrant, diſſipantur: nec in meteoris ſublunaribus apparet motus talis, quo admodum conſtantes moveantur in orbem, fere Planetarum inſtar, ut Cometæ: quod etiam probat ex parallaxi Cometarum ſive aſpectus varietate, quam diverſis ſpectatoribus tempore eodem diſtantibus à ſe mutuo longiori terræ tractu exhibent. *Vide Rever. Ioh. Schul. in cometologia ſua, p.m. 5.6.7.8.9.* Statuitque ideo materiam Cometarum non eſſe terreſtrem aut ſublunarem, ſed cœleſtem ſeu æthercam; qualis autem ea ſit, ignorat vel certi nihil affirmare poteſt: conjecturam tamen hanc amplectitur, quod Cometæ ſint exhalationes quædam cœleſtes ſeu æthereæ, quæ & à Sole & ab aliis corporibus cœleſtibus originem ducunt & illuminatæ vel accenſę apparent: & ideo pro diverſitate materiæ Planetariæ denominari poſſunt Cometæ, quod nempe alii ſint Solares, Saturnii, Joviales, Martiales, Venerii, Mercuriales, Lunares, Stellares, prout ſcilicet ex hoc vel illo Planeta originem ducunt. Sed annon poſſunt dari Cometæ mixti generis? ℞. negando, quia exhalationes unius Planetæ alterius orbem ſive cœlum non ingrediuntur neque iis permiſcentur, uti nec miſcentur exhalationes terræ cum Lunæ, Solis aut alterius Planetæ exhalationibus. Ita docent *Galilæus de Galilæis*, & meus olim Profeſs. *Rutger. à Loen in phyſica ſua, de cœlo.*

IX.

LVx *Cometarum* ſequitur: de hac notandum, quod quædam corpora habeant lucem mutuatitiam & extrinſecus ſibi quodammodo adhærentem, ut *Luna, ſpeculum illuminatum*: quædam lucem habent inſitam quidem ſed acidentalem, v. g. *ceſpes, lignum ardens, candela*: quædam verò lucent, luce ſibi inſita & naturali, ut *Sol* & *ſtellæ*; & ideo Apoſto-

lus *1. Epist. ad Corinth. c. 15. v. 41.* has inter se distinguit non privatione sed lucis gradu; ad quod genus lucis Cometarum lux sit referenda, nondum satis est expeditū, fortè pro diversitate materiæ de hujus luce est philosophandum. v. g. si generatus est cometa ex particulis Solis aut aliorum siderum lucidis suâ natura, lucem habebit nativam, qualem ob radios admodum vividos & claros existimant fuisse Cometam, qui apparuit anno 1618. Si ex particulis obscurioribus Lunæ vel alterius corporis ætherei, v g. Veneris, Mercurii, etiam Lunæ instar à Sole illuminabitur: ast si materia per se sit obscura, inflammabilis tamen, sulphurea ut est nostra & pinguis, tunc in cælo accenditur & lucebit instar ignium nostratium.

X.

DIfficultas videtur esse maxima in motu Cometarum propter anomaliam maximam in eo observatam: aliquando apparent velociores, aliquando tardiores, nunc juxta, nunc contra Signorum in cœlo successionem: nunc ad antarcticum nunc ad arcticum progredi videntur: hinc idem & unus Cometa & Orientalis & Occidentalis est: ob celerem enim progressum primo spectatus in Oriente post paucos dies spectatur in Occidente; quod quia multi nesciunt, ideo decipiuntur ut Cometam eundem pro diverso habeant, & duos esse putarint, qui unus fuit: quod etiam in nupero nostro credo fuisse factum qui nobis hic Marpurgi apparuit vespertinus, aliis in principio fuit matutinus, si novellis fides est adhibenda.

XI.

MOtus hujus cometalis difficultas, fortè cessaret si centrum circuli seu cometalis viæ accuratè possit determinari: diversa enim hinc attendenda centra Terræ, Solis & Cometæ: manifestum enim est, quod motus in circulo æqualis

lis & regularis, ſpectetur ab oculo in alio centro exiſtenti inæqualiter & irregulariter. Sed *eſtne hic cometarum motus naturalis an accidentalis*, vel, *moventurne virtute interna an externa? Cur contra ſignorum ordinem moventur? cur in via ſua aliquando ad auſtrum, aliquando declinant Septentrionem verſus?* Reſpondemus, illos inſtar planetarum in propriis ſuis orbitis naturaliter à Sole moveri: ſi enim conceditur motus planetarum à Sole nulla ratio eſt, cur non cometas quoque ab eodem naturaliter moveri non putemus. V. G. ponamus Cometam Jovialem prope cœlum Saturni, hic cum admodum ſit frigidus, Iupiter vero moderatè calidus, cometam in via ſua admodum debilitabit aut repellet in contrarium: Si verò eum ponamus prope cœlum Martis, qui adhuc magis eſt calidus, in motu ſuo & curriculo magis promovebitur: ſi martialis ponatur prope cœlum Solis, qui dicitur ſummè calidus, hinc in ſua orbita velociſſimè movebitur: quanquam motu ſuo lineam perfectè circularem non obſervent, ſed nunc ad auſtrum nunc ad ſeptentrionem declinare videantur, forte ob varias illas cœleſtes exhalationes ipſi in via ſua occurrentes: prout aquam effuſam in terram continuo fluere videmus ad loca decliviora, non tamen recta progredi, ſed nunc huc nunc illuc cogitur deflectere, quando in via ſeu motu ſuo à vento vel alia occurrente materia impeditur.

XII.

AD figuram pertinet Cometarum, quâ à cœteris differunt aſtris, quod videantur nobis caudati aut comati. *Morinus in Aſtrologia Gallica lib. 9. c. 11.* Cometam ſtatuit corpus cœleſte, rotundum, undique accenſum, ſecundum eam tantum partem apparentem nobis, qua eſt averſa à Sole: hunc ſequitur ſupra laudatus nobis doctiſſimus *Voßius*: Sed hæc ſententia ſi vera eſt, jam ipſum Cometæ quoque caput videri non poſſet, cum & ipſum Soli ſit obverſum eumque aſpiciat.

Imo etsi interdiu flammæ non aut tanquam fumus obscurus appareant, noctu ergo Cometæ, si undique accensi arderent ita deberent apparere: & si aliquod sidus ea parte invisibile esset qua Soli est obversum, nullum amplius videri à nobis possit, quia omnia Solem adspiciunt.

XIII.

Rectè itaque concludit *Doctiss. Dn. Schülerus*: Cometam corpus esse rotundum, circumcinctum undique partibus rarioribus & exhalationibus æthereis: pars ejus solidior & magis compacta ipsum Cometæ corpus constituit & *caput* vocatur, pro ratione materiæ lucidum vel accensum vel etiam à Sole est illuminatum, ut hæc nostra tellus vel Lunæ globus; & quia materia est solida & compacta, lumen suum perfectè ad nos transmittit: quia vero exteriores ejus partes sunt rariores & non ita compactæ, hinc fit ut collustrantes ipsum radii eas penetrent & pertranseant, ac ita caudam seu barbam efficere videantur à parte posteriori. Ita in nubibus nonnunquam Virgæ apparent ex radiorum Solarium transmissione, & videre est simile quid in radiis illabentibus per rimas in conclave inprimis repletum fumo, exhibentibus linearum lucidarum imaginem: hinc conjicimus Cometæ caudam, quotiescunque aversa est à Sole posse Soli ejusque radiis attribui: sed quia testantur clarissimi Astronomi eum non semper caudam in directum habere aversam à Sole & ejus radiis, etiam ab alio quovis astro, hæc irradiatio fieri potest. Si partes illæ exteriores & rariores caudam efficientes, extenuantur, dissipantur, evanescunt aut ab occurrentium particularum aut exhalationum cœlestium motu alio rapiantur, manente interim ipso cometali corpore, cometa apparebit sine cauda: uti factum putant anno 1572. in stella illa quæ in Cassiopæa fulsit, duravitque mensibus sedecim: exhalationes etiam æthereæ, quibus undique cometæ lumen est circumfusum efficit plerum-

plerumque, ut non sit adeo vividum, ut lumen stellarum fixarum vel ipsorum Planetarum: item quod aliquando magis rubicundum aut flammeum, aliquando magis album vel lividum appareat, secundum colorem planetarum, è quibus originem credimus illos ducere.

XIV.

COmetarum tempus solent Astrologi statuere duplex, *apparitionis* & *durationis*: illud est omne totius anni tempus, sive *vernum* sit, sive *æstivum, autumnale* sive *hybernum*: imo historiarum testantur monumenta omnibus anni mensibus apparuisse cometas: Hoc etiam est incertum, & non potest determinari: alii durarunt per unam tantum horam, alii per septem dies, alii per XXX. XL. LX. Nonnulli quatuor, quinque aut sex menses. Ante excidium Hyerosolymæ & panolethriam Politiæ Judaicæ per totum annum Cometa gladio similis in cœlo fuit conspectus, si *Iosepho* credendum *libr. VII. de bell. Iudaic. cap. 21.* *Locum* Cometarum jam supra *absolutè* sumptum statuimus cœlum supra lunam: relatè, quoad nos & plagas mundi spectatum, alii notant eos generari extra Zodiacum & Tropicos, non circa medium cœli sed plagas ejus exteriores inprimis, circa polum arcticum: hinc Cometas evanescere docet *Aristoteles* cum ad Eclipticam accedunt. *Libr. 1. Meteor. cap. 7.* Aliquando tamen & in medio quoque cœlo, sub ipso Æquatore & aliis cœli partibus Zodiaco vicinis Cometas generatos esse & apparuisse testantur Historici, quare & de loco Cometarum nil certi quoque determinari potest.

XV.

DE Historiâ nunc hujus Cometæ, jam visi in fine præcedentis anni in Novembri & Decembri in Hemisphærio nostro, aliquid esset dicendum, quando primum apparuerit, sub quo Asterismo sive Constellatione, quo colore & quomodo

do deinceps motu celeriùs indies accreſcente & variante progreſſus ſit & tandem evanuerit: ut ſcilicet aſtronomica contemplatio, veritate hiſtoriæ poſita, recte poſſit inſtitui ex Cometæ natura, figura ſive cauda, quod initio Solem ſequentem habuit & matutinus Cometa erat, in fine veſpertinus factus ſit, de motu, de tempore, de loco, & an in cœlo Saturni habuerit ſuam exiſtentiam, de diſtantia ejus à terra in hypotheſi Copernica vel aliorum, nihil mihi definire nec diſputare animus eſt. Nè ſutor ultra crepidam. Facient hoc alii eruditione clariſſimi Viri & jam etiam hoc egit accuratiſſimè Nobiliſſimûs, Ampliſſimus & Conſultiſſimus Juris Doctor & in vicina Academiâ Profeſſor celeberrimus *Dn. Fridericus Nitſchius* Fautor & Amicus apprimè honorandus in literis ſuis ad Nobiliſſimum & Expertiſſimum Dn. Doctorem Johannem Jacobum Waldſchmidt / Archiatrum Haſſiacum & Collegam chariſſimum: Ex præmisſis ergo hiſce quaſi theoria aliqua generali apparet, etiam more philoſophico naturam hujus criniti ſideris eſſe indagandam ei, qui de Cometarum eventu potius vult rhetoricari quam diſputare: nec eſt nova hæc opinio futura prædicere ex Cometis poſſe, veteribus Aſtrologis incognita, & tamen jam olim à Chaldæis inventa: doctisſimi quippe Aſtrologi, ex principiis ſuis Aſtrologicis explicant, quid præſagierint, quid portenderint? Aſtrologiæ ignari nullius prorſus eos eſſe efficaciæ contendunt, quibus in judicando nihil injuſtius, quando omnia illorum præſagia ipſis λῆροι videntur & quaſi aniles fabulæ, hoc inprimis decepti, quod non continuo illorum appareant effecta. Aſt ſaniores fatentur ingenuè, prædictiones ſuas nunquam niſi conjecturaliter intelligendas eſſe, easque tum demum impletum iri, quando alia quæ cœli influxum impediat, eive reſiſtat, non intervenit cauſá, adeoq; & hunc fructum eſſe Aſtrologiæ & utilitatem maximam, imminentia mala

ex

ex astris studiosè declinare, eaque facere, quæ iis avertendis sacra Scriptura & ratio recta dictitat, juxta illud, *Sapiens dominabitur astris.* Ita mecum quoque sentit jam prælaudatus *Dn. Nitschius* in jam citatis ejus literis, his verbis: **Vom** effect **ist noch zur Zeit wenig zu melden/und ist die gemeine Sache** ut plurimùm **voller** vanitatum: **Jedoch ist solcher nicht zu leugnen/und dürffen allerhand** motus in sublunaribus, **welche auch ihren** effect in animos usque hominum extendi**ren möchten darauff erfolgen.** *Sed de hoc & aliis in posterum forte plura.* Ex quibus apparet, neminem Astrologorum certam promittere futurorum præscientiam, quod solius Dei est, qui perfectè novit omnium astrorum non tantum nomina, *Psalm. 147. vers. 4.* sed etiam vires, naturas atque in hæc inferiora ἀποῤῥοίας, sed divinationem duntaxat conjecturalem & prædictionem Astrologicam. Hæc enim universa solis nititur conjecturis, quas necessaria non afficit certitudo; perinde ut Medicina non dicitur esse ars, quia tota est στοχαστικὴ & conjecturalis: quis ergo homo, larva hominis, imo pecus desperatæ nequitiæ, nunquam vellet uti in morbo cubans medicina aut etiam Medicis? Fateor στοχαστικὴ est & conjecturalis, sed non quivis στοχασμὸς nec cujusvis è plebe hic locum habet, sed fundatus non tantum super certissimis artis principiis sed etiam experientia stabilitus, ut Politicorum, Ducis belli, Navarchæ, Oratoris: quæ conjectura consistit secundum Galenum in cognitione morborum, causarum, symptomatum; si quis hanc habet, succedit curatio ex indicationibus seu conjecturis non ex conjectura, sed ex certa scientia. Accedit & hoc ad Astrologiam, quod quædam quæ ab Astrologis explicantur in natura fundamentum habeant, quædam eo careant, sed vanorum quorundam & superstitiosorum hominum figmentis superstructa sunt, ut illa Cometarum præsagia, quæ à natura signorum, prout vulgò dicuntur humana, ferina, bi-

corporea &c. vel etiam à Constellationum formis, ut vocantur Aries, Taurus, Pisces, Delphin, Hydra, &c. desumuntur. Hæc vana sunt & inepta, & levitatis nota non carent; sed inde non sequitur, nihil esse quod pro vaticinio ex Cometis proferri possit in medium: quæ? qualis? quanta? Ipsi saniores Astrologi quoties optant divinitus aliquos excitari qui disciplinam hanc à Sophistis variis ac impostoribus veræ Astrologiæ ignaris tam fœde contaminatam reforment & veris postliminio tandem principiis naturæ instaurent: Si ergo errare hic quem contingat Astrologum, cum non statim vocabo nebulonem, impostorem, non tolerandum inter viros honestos, *Parcius ista Viris tamen objicienda memento*, cum errare hic ei non magis vitio verti possit, quam Medico ex hypothesi temperamenti ægro quid futurum sit prognosticanti: cum horum omnium hic sit finis, ut mala, quæ nobis comminari Cometæ videntur, à nobis & nostris omni studio avertamus. Deus ad arbitrium potis est tam bonos quam malos effectus avertere, secundum tritum illud; *Astra regunt homines sed regit astra Deus: astra inclinant, sed non necessitant.*

XVI.

SEd hic lubet quærere, annon hæc doctrina nostra de Cometis reddat homines meticulosos, ita ut vano metu trepident ac si Annibal esset ante portas? annon inde oriantur angustiæ, terrores, difficultates? ℞. Utinam verè redderet! utinam terrerentur non tantum rustici & plebeji, sed etiam virorum fortium tentarentur pectora! Utinam multorum Principum cubiculis etiam admoveantur salutares metus? Timor Domini, qui hoc sidus creavit, est initium sapientiæ. Imo munitio optima quæ nos adversus motus, errores & superstitiones conservat. Filii prodigi sumus, si eum hic deserimus: pœnitentium enim est ad Deum accedere.

Stul-

Stultus in corde ſuo dicit, non eſt Deus; non ſunt hæc judicia Dei, quæ, quia Iſraelitæ olim non revocarunt ad animos, à Deo dati ſunt in reprobum ſenſum, & quo magis terrebantur his & ſimilibus futuræ caſtigationis ferulis, eo magis receſſit à via bona: Non per adulationem aut aſſentationem hoc affirmo, me adhuc neminem in civitate vel Academia noſtra ita trepidantem vidiſſe vel audiviſſe, ut metu incerti periculi conjectus fuerit in certam deſperationem: non ſunt mei Marpurgenſes tam meticuloſi: maxime ipſis Calendis Januarii, in quibus multi etiam qui Curios ſimulant Bacchanalia vivunt, & ſobrietas anguſtè hic habitat. Qui nullo torquentur hic futuri mali metu, annon in his morum ſordibus brutis ſunt deteriores? gemere debemus priusquam cognoſcamus, & juſtiſſimum Numen interea religioſo obſequio nobis delinire & precum calidiſſimarum quaſi ſacrificii quadam impenſa propitiare: Hodie, hodie cum audimus vocem ejus in verbo & videmus ſigna in cœlo, ne induremus corda noſtra, ne exacerbemus ſpiritum Dei, qui diſceptat cum mundo propter peccatum, juſtitiam & judicium. Sic fiet quod nobis prædixit *Malach. 4. 1. 2. Ecce veniet dies illa ardens tanquam clibanus: & erunt omnes ſuperbi & facientes omnē impietatem ut ſtipula. Comburet q; illos dies ventura dicit Iehova exercituum, quæ non relinquet eis radicem nec ramum. Orietur autem vobis timentibus nomen meum ſol Iuſtitiæ & ſanitas in alis ejus.* Fateor, non omnia credibilia ſunt intelligibilia, nec Cometæ ſunt miracula, ſed naturæ opera; ſed quid obſtat quo minus in magnis ejusmodi & raris naturæ operibus cum cauſis naturalib⁹, extraordinarium quid à Deo intendatur: ita unanimiter philoſophamur omnes de Terræ motu & aliis variis aëreis meteoris & ſpectris ſtupendis in aere apparentibus, ut non ineptè de hiſce & ſimilibus dici poſſit, *Ecce digitus Dei*, Exod. 8. verſ. 19. Hic ergo caveamus nobis à larvis & lemuribus, ut

voluit *Plancus* apud *Plinium* in præfatione ad *Vespasianum* Cæsarem.

XVII.

NOndum mihi displicet hæc sententia quam de eventu præsagione, significatione, & effectibus Cometarum foveo, fultus præsidio sacræ Scripturæ, rectæ rationis, experientiæ & consensus universalis gentium. Quis ergo nisi cui cornea fibra, hanc non cognoscere potest? an hæc est ex Gentilium doctrina desumpta? an Sacra Scriptura de Cometis tacet? Qui hoc audet affirmare, forte est attentior in legendo *Catullo, Tibullo, Propertio* & aliis Ethnicorum scriptis, in legendis Comœdiis *Plauti*, *Terentii*, ne omnem latinitatem suam perdat, quam in legendis Evangeliis *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ* & *Iohannis*: Profectò generosius judicabit & splendorem majorem esse, audire lyram *Flacci*, quam præcepta *Salomonis*: exercitatiorem esse in artibus *Nasonis* quam in lectione *Pauli*, ut illud conqueritur *Damaso* Pontifici *Hieronymus*; hoc *Salmoni* Abbati *Victor Massiliensis*. Ego ita apud animum meum statuo, optimum philosophandi genus esse, si quis ex Bibliis petat ἔιμα καὶ πόρφύραν: ita familiarior erit nobis hic sacratissimus codex; ita conjungetur pietas cum eruditione, & à certissimis initiis assurgemus ad apicem philosophiæ solidæ & sobriæ, quæ est in libro naturæ: quicquid enim scimus, aut per lumen naturæ nobis insitum est ex opificio mundi, aut ex verbo Dei per lumen gratiæ nobis est infusum: cum quo concordat etiam, quod vulgo dicitur, tria esse artium & facultatum omnium criteria, *Rationem*, *Experientiam* & *Sacram Scripturam*.

XVIII.

SIt ergo hæc prima nostra quæstio: *An sacra scriptura taceat de Cometis, seu an nunquam Cometarum fiat mentio in*

sacris

ſacris literis? R. quœſtio hæc cur non eſſet affirmanda mihi, etſi vox *Cometæ* in tota Scriptura non videatur expreſſa in ſpecie, attamen ſub generalibus vocabulis, *ſigni cœleſtis*, *prodigii*, *oſtenti*, cur nõ certiſſimè comprehenderentur: generalia autẽ illa vocabula occurrunt in ea ſæpius. *Ioel.* 11. *v.30. Edã oſtenta in cœlis & in terra Lucæ* 21. *v.*11. *Et magni terræ motus erunt ſingulis locis, & fames ac peſtilentiæ, & terriculamenta & ſigna è cœlo magna erunt. Actor.*11. *v.19. Et edam prodigia in cœlo ſurſum & ſigna in terra deorſum, ſanguinem & ignem & vaporem fumi.* Huc referenda extraordinaria illa ſtella quæ Magis apparuit tempore nativitatis Chriſti in Oriente *Matth.*11. *v.1.2. Ecce magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes, ubi eſt ille Rex Iudæorum qui natus eſt? vidimus enim ejus ſtellam in Oriente & venimus ut adoremus eum*: hanc ſtellam Cometam aliqui putant fuiſſe, aſt communi nomine *ſtellam* appellatam: hoc pace tamen magnorum illorum virorum negandum puto, ſtatuoque cum aliis, fuiſſe novum quoddam & inſolitum ſydus, quod non naturali ſed angelicâ vel virtute divina conflatum fuit è ſubcœleſti materia & lucis eximiæ fulgore præditum, motum etiam angeli alicujus miniſterio: an vero illud Magos per totum iter fuerit comitatum, an ſemel duntaxat in Oriente eis viſum, mox evanuerit & poſtea Hieroſolymâ egreſſis iterum apparuerit eosque ad præſepe deduxerit, quod veroſimile eſt ob verba Magorum ad Herodẽ: Εἴδομεν. γδ. τὸν ἀςέρα αὐτȣ̃ ἐν τῇ ἀνατολῇ: jam non diſputabo: & poſito ſed non conceſſo, quod fuerit Cometa, quod non morbos & mortem ſed deſcenſum Dei venerabilem ad humanæ ſervationis opus ſignificarit, uti Chalcides Platonicus ſuper Timæum Platonis habet referente *Ionſtono Thaumat. libr.1. cap.7.* Sicque veræ & æternæ illius lætitiæ, ſignum fuerit, an ne ideo ita concludendum, ergo dantur cometæ quæ non ſemper traxerunt poſt ſe eventus calamitoſos, & ideo

cometa nil boni vel infausti significat, quia fieri nullo modo potest, ut una & eadem res contrarios producat eventus, significetq; diversa & sibi opposita: quasi vero hic ipse Cometa in noñullis Judæis potuerit etiam portendere aversionem & interitum: annon unum & idem in diversis subjectis diversos & contrarios potest producere effectus? Sol lutum indurat, ceram liquefacit: Sol virtute suâ vivifica & calore non sanas solummodo herbas, verum & noxias adeoque & venenatas terra excrescere facit. Aut si placet Dominis Studiosis exemplum ex primis Juris nostri elementis, annon mors avi in avo solvit patriam potestatem, in patre vero constituit. Qui solvit indebitum, debitum intendit distrahere & tamen contrahit. Novatio primum contractum solvit & novum constituit: ita nihil est frequentius, quam ut corruptio unius sit generatio alterius: utrumque potest denotare cometa. Sed hæc pertinent ad Logicas subtilitates: Doctissimus *Baudius* cum olim Lugduni Batavorum primam habuisset disputationem Juridicam & Studioso opponenti & urgenti objectionem suam, respondendo ad argumentum non posset satisfacere: Patronus ejus Dominus *van der Myle*, per jocum hoc quasi exprobans ei, finita disputatione dicebat, *ô Baudi Baudi, hodie turpiter manus dedisti.* Respondebat ille: *ignosce ô Domine, meum ingenium non patitur se includi istis Syllogismorum & Logicorum angustiis.* Sed quia mentio jam facta est Magorum, hic lubet quærere, *an Magi illi qui ex Oriente ad Christum venêrunt, fuerint venefici & malis artibus dediti?* Affirmat hoc in horis suis Hebraicis Dominus *Ligtfoot*; sed si hoc verũ, hic nobis revera est etiã *Ligtfoot*. Quis Christianorũ hoc auderet affirmare, Magos illos, qui incunabula Christi inquisivêre, fuisse veneficos & Diabolũ ipsum per hos venisse in terram Immanuelis, in Bethlehem Juda, in civitatem Davidis, & Christum natum adorasse & muneribus oblatis auro-

thure

thure & myrrhâ honoraſſe: Meſſias enim hic noſter quando in carnem erat venturus, oracula Diabolica debebant deficere, juxta clariſſima Prophetarum vaticinia *Zach.* 13. *verſ.* 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſpergam nomina idolorum de terra & non memorabuntur ultra: & Pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra.* Annon hoc impletum quando Satanæ regnum deſtructum eſt & oracula Gentilium ubique defecêrunt. Quis ignorat illud ex *Nicephoro lib.* 1. *c.* 17. cum Imperator Auguſtus Apollinem Delphicum conſuleret, quis ſibi ſucceſſurus eſſet? Apollo parva interpoſita mora reſpondet: Παῖς Ἑβραῖος κέλεται &c. ſed verſionem hic ponam latinam, fortè cum *Accurſio* non omnes has curvas literas legere poſſunt.

Me puer Ebræus Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus decedito noſtris.

Ob quam cauſam Auguſtus Aram in Capitolio maximam exſtruxit cum tali inſcriptione: *Ara primogeniti Dei.* Cur non potius crederemus hos Magos, non tam ex lumine naturæ, ſeu ſtellæ novæ apparitione quod impoſſibile. 1. *Cor.* 2. *verſ.* 6. ſed potius ex lumine gratiæ ſeu ex Spiritus Sancti inſpiratione Chriſtum agnoviſſe: annon Daniel Propheta doctrinam de Meſſia quibusdam Magis inſtillavit, & ideo nullum putat eſſe *Chemnitius Harmon. Evang. c.* 10. dubiũ, ſeminaria quædã doctrinæ cœleſtis in ſchola horum Magorum fuiſſe. Rectè ergo *Tremellius* & *Iunius* in notis ad *c.* 2. *Matth. v.* 1. ad vocem *magi*, id eſt, *ſapientes, dicunt: eſt autem Perſicum nomen quod in bonam partem à Perſis ſumebatur.* Magi fuêre dicti, ſed à magia illa quæ nil aliud eſt, noli exhorreſcere, & ne te decipiat hoc nomen, quam ſapientia in abſtruſioribus Naturæ operibꝰ occupata, ad quam *Plotinus* refert Medicinam, quam vel ſolam vel certè præcipuam eſſe dicit inter Magiæ naturalis

artes

artes teste *Hoffman. in Inst. Med. lib. 1. c. 1. §. 4. Dres. de fest. dieb. Magiæ nomen ab Hebræo Haga, meditatus est inquisivit, deductum videtur: ex quo liquet, Magiam id esse Persis, quod Musa est Græcis atque Latinis, indeque Magistri nomen factum esse apparet: Musa vero ex Hebræa voce Musar nata est, quæ Græcis est παιδεία, Latinis disciplina: unde Cal Musar omnis disciplina composito nomine appellatur. Plato in Alcibiade* ait, *Magiam esse doctrinam de Deo & cultibus divinis sed postea perinde ut Sophistæ ad abusum conversa usurpari cœpit pro superstitioso Dei cultu & incantatione. Magos igitur vocarunt Persæ sapientes suos, quos Ægyptii appellabant Sacerdotes; Indi Gymnosophistas, Græci Philosophos, Galli Druidas, Germani* die Pfaffen *vel Saxonico Idiomate* die Papen/ *à Papa scilicet, cujus ductum sequuntur.* Hoc lippis & tonsoribus notum. Certè Reverendis Theologis hæc sententia credo non probabitur & si nonnullis nescio ex quo fastu & tumore, hi vocentur crabrones, miror eos etiam non esse crabrones, quando veritas tot morsibus dilaniatur.

XIX.

OCcurrunt & alia loca probantia mentionem fieri Cometarum in sacra Scriptura, v:g. *Iobi c. 38. v. 32. 2. Reg. 23. v. 5.* ubi notant linguæ sanctæ periti, per vocabula quæ Cometis ex amussim conveniunt & eorum naturam verè explicant: ut & in superiori dicto Joelis *c. 11. v. 30.* Deus tanquam prævia horribili illi diei minatur ita: *Et dabo prodigia in cœlo & in terra, sanguinem, ignem & columnas fumi*: ubi ita *Rever. Heideggerus*, Collega olim in *Arnoldino* & Compater longè charissimus: *Quid per sanguinem, ignem, columnas facilius intelligimus quam Cometam, qui quidem, ratione materiæ est fumus, ratione formæ columna, uti apparet in caudatis ratione qualitatis ignis ratione coloris sanguis.* Annon S. Scriptura testatur sidera cœli esse signa *Gen. 1. v. 14.* non tantum ordinaria,

sed

ſed etiam extraordinaria, quibus Deus ſuam gratiam vel iram hominibus demonſtrat ſupernaturaliter: non tantum *perpetua*, quæ Deus in creatione prima die quarto produxit & in firmamento collocavit, ut duo luminaria magna & ſtellæ: ſed etiam *temporaria* & πρόσκαιρα, quæ ſucceſſu temporum ita in aëre, in firmamento, comparent ut tamen intereant & facilè mutentur, qualia ſunt etiam Cometæ. Moſes certam ſpeciem ſignorum non expreſſit, ſed in genere id omne intelligit, cujus ſignificationem Deus aſtris induit. Quo ſenſu Deus κατασφραγίζειν dicitur, *ſignare & obſignare ſtellas. Iob. 9. v. 7.*

XX.

HIc quærunt nonnulli viri docti annō columna illa ignea, quæ præluxit Iſraëlitis, *Exod. 13. v. 21. Iehova vero antecedebat eos interdiu in columna nubis, ad deducendum eos viâ illâ, & noctu in columna ignis, ad afferendum iis lucem, ut progrederentur interdiu ac noctu*, fuerit cometa, quia interdiu nebulæ, noctu verò flammæ inſtar comparebat? ℞. Nos propriè Cometam fuiſſe non audemus aſſeverare, cum ab hoc non ſolum materia, ſed etiam figura, motu & loco longiſſime differret: quanquam ſint, qui ſidus extraordinarium ac terreſtre hoc appellent. Piſcator ita: *utriusque columnæ hoc commune erat, ut populo dux itineris eſſet: peculiare autem columnæ quidē nubis, ut ab æſtu & cœli injuria, protegeret: Pſal. 105. v. 39. Deus habita ratione noſtræ infirmitatis parcit nobis, ne nobis adhuc in fide infirmis immittat tentationem aliquam graviorem: quod ſi autem immittat, evidentibus ſignis præſentiæ ſuæ nos erigit & in fide confirmat potenterque tuetur.*

XXI.

QUando ergo uti dictum, Cometarum fit mentio in ſacra Scripturâ, *ſecundò*, quæro, *ſignificentque ſemper aliquid ex intentione Dei?* Hoc affirmamus quoque, quia ſunt extraordinaria Dei opera: in quibus etſi Deus cum cauſis naturalibus

concurrat, nihil tamen impedit, iis extraordinario modo aliquid insolitum significari, veluti fit quoq; per Iridem habentẽ causas naturales, & tamen est fœderis Dei & gratiæ signum. *Gen.9.v.13.* Rectè prælaudatus Dominus *D. Heideggerus* in disputatione sua *de signis cælestibus th.16.* agens de præsagio & significatione cometæ, ait: *Hic timidè & gradu suspenso adeoq; providè eant inprimis Christiani oportet, nè vel ad superstitionem plus tribuendo Cometis quam eis conveniat, vel ad impietatem eos contemnendo flectant, sunt dati in signa, ut cæteræ stellæ, quarum naturam imitantur: quare naturaliter etiam & ante omnia significant gloriam Dei & divinæ justitiæ, sapientiæ & potentiæ: naturaliter etiam significant id quod efficiunt: de quibus postea.*

XXII.

TErtiò hic quæritur, *an Cometa semper sit signum iræ divinæ & semper aliquid mali portendat?* Hoc aliqui negant, tribuentes etiam bonos effectus cometis & lætos v. g. præsentiam Serenissimi & Celsissimi Principis & Patris Patriæ, quo præsente late radios suos exseruit; absente vero recondit ita ut sine ingratitudine in DEUM hoc aliter nobis affirmare non sit licitum. *Erastus* etiam *Squarcialupus* omnem cometis infamiam detrahere conatus est. Exempla ex Historiis Cometarum quæ afferuntur hic non tango: respondet ad illa *Dominus Schülerus*: *Ego tamen hæc potius vel assentationis gratia dicta vel non alio sensu intellecta putem, quam quo vulgò corruptio unius generatio alterius dici suevit: quare, nullum Cometam unquam apparuisse arbitror, qui non aliquid mundo mali attulerit: juxta illud* οὐδεὶς Κωμήτης ὅςις ἐ κακὸν φέρει. *Hoc Cicero comprobat lib.2. de nat. Deorum. Ab ultima antiquitatis memoria notatum est, Cometas semper calamitatum prænuntios fuisse.* Claud. *Et terris nunquam spectatum impune Cometam.* Hominis Ethnici *Herodoti* minimè ethnica est sententia, ex *libro ejus 6.* quam etiam citat Clariss. Vœtius

Disput.

Disput. 1. de Signis. §. 7. Cum Deus puniturus est gentem vel urbem prodigiis id prius solet significare. Huc facit illa pia & gravis Christiani hominis vox, in qua sententia finit etiam Chronologiam Cometarum *Ioh. Henricus Alstedius: Loquitur cum hominibus Deus, non modo lingua humana per Prophetas, Apostolos & Pastores, sed nonnunquam etiam ipsis elementis in formas & imagines diversas compositis.* Itaque sæpe, *præcedunt pœnas nuntia signa graves. Euseb. lib. 6. Histor. Eccles. cap. 7.* dicit *Deum per Cometas admiranda vaticinia illorum exhibere, quæ super impœnitentes futura sunt.* Placet hic iterum mihi meus *Heideggerus: Piam ait, ego & dignam Christiano homine opinionem & fidem illorum esse censeo, qui agnoscunt, Cometam esse pœnitentiæ concionatorem & iræ divinæ certissimum indicem, destinatum divinitus vel propter gentiles, qui verbi Dei institutione non fruuntur, vel propter eos, qui cum in Ecclesia sunt, tamen verbum Dei negligunt & ejus institutionem flocci pendunt; quin etiam, quoties non resipiscunt homines, eo signo portendi judicia Dei tum in Ecclesia tum in Politia. Ac tale signum esse demonstrat Scriptura, recta ratio, experientia, denique universalis consensus gentium.*

XXIII.

REctam & sanam rationem idem hoc ostendere & inculcare, Cometam semper aliquid mali significare, nõ quod naturalis causa ejusmodi rerum sit cometes, sed quod naturalis ratio quemvis paulo prudentiorem doceat, ut cognoscat, tale quid à Cometis significari: hæc enim judicat inusitatum aliquod esse portentũ cometã, in cujus generatione & motu quædam occurrunt, quæ hactenus nemo potuit explicare, ideo statuit immediatam Dei actionem ad ejus ptoductionẽ & motum concurrere, quod singularis ominis certo est judicio: Rectè *Calvinus* noster: *Sideribus non tribuenda causa ultionum divinarum, attamen Deus sideribus utitur ad ulciscenda*

da hominum ſcelera, ſed non ex naturæ ſtato ordine. Ita Deus vento uſus ad exſiccandum mare rubrum, ſed is non dependit ab aſtris ſed ex eo tempore à Deo fuit excitatus. Et alibi: *Cometæ certè nil aliud ſunt quam ardores quidam, quæ non ſtatis temporibus, ſed prout Deo viſum eſt procreantur. Sed ſignificationem illorum ratam ac certam eſſe nego:* & *non inficior, quin Deus cum manum ſuam porrigit ut judicium aliquod memorabile ſtatuat hominibus, id nobis aliquanto per Cometas pronuntiet: ſed hoc non patrocinatur falſis Aſtrologis.* Et cum ordinario Providentiæ ſuæ curriculo D. T. O. M. hominibus oſtendere ſoleat ſuam bonitatem atque benignitatem. *Matth. 5. 45. Facit enim ut ſol ſuus exoriatur ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* & *Actor. 14. 17. Quanquam non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitus pluvias ac præſtituta tempora fructibus perferendis, implens cibo ac delectatione corda noſtra.* Cur non extraordinariis hiſcè prodigiis iram DEI portendi poſſumus ſuſpicari? Cum hac ratione ipſam conſentire & convenire experientiam, luce meridiana clarius apparebit, ſi quis omnium temporum memorias excutiat, ſi quis calculum ritè ſubducat, annon plerique malorum ſyrma poſt ſe traxêre v. g. morborum, peſtis, revolutionum imperiorum, mutationum notoriarum in Eccleſia, bellorum, perſecutionum fidelium: ſi hæc res adhuc doctorum judiciis foret ambigua, quot exempla poſſent exſcribi, tum ex probatiſſimis gentilium & Chriſtianorum Scriptoribus, ſuperſtitionibus minime deditis: quibus omnibus ſi clauſis oculis Andabatarum more tantum opponere vellem MEAM ſolius negantis AUCTORITATEM, rectius dixero TENUITATEM, quid amabò lucri facerō, ſi mihi contra veritatem adulando ſcandalum dem, & infirmas conſcientias turbem, quo minus ad Chriſtum veniant, vel ut ab eo alienentur. Cum Deo & Dei extraordinariis operibus non debent

bent ita ludere, qui alios in timore Dei volunt ædificare, qui hoc faciunt, & ita curiositati suæ frœna laxant, non domant ratiocinia sua à concupiscentiis suggesta, non in se descendunt, non in mores suos iuquirunt & flagitia, quæ Cometam hunc accendunt. Arrogantia est radix omnium errantium opinionum & impiorum dogmatum: doctrina veritatis nunquam debemus abuti ob vanam ambitionem, nec illam rapere ad ludum quasi & oblectamentum: qui hoc faciunt Theologiam habent histrionicã, quæ pro re nata nunc hunc nunc illum vultum assumit, qui non sunt digni ut in veritate contineantur, laxi morum doctores. ô DEUS, effice ut miserias nostras sentiamus in tempore, ne eas tanquam obducto callo contemnamus! quod si faciemus, si pergemus ita esse stupidi, revera in sordibus nostris non tantum jacere & hærere sed etiam tabescere & putrescere nos sinet justissimus Deus.

XXIV.

QUando ergo jam demonstratum Cometas, semper aliquid mali portendere, non immerito ergò hic *quarto* quærimus, *quænam sint mala illa Cometis significata secundum Astrologos?* ℞. Astrologis, ea esse, ventos, procellas crebras, pluvias & imbres copiosos, terræ motus, sterilitates & inde orta fames: maximè verò bella, pestes, Regnorum mutationes, Rerumpublicarum eversiones, Regum & Principum interitus. Hisce nominibus multorum Auctorum tam Ethnicorum quam Christianorum scripris & carminibus detestati Cometæ; alii jam loca illa descripsere: quare observata probè distinctione inter verborum & rerum copiam hic *quintò* venit in quæstionem, *an Cometæ horum malorum causæ sint physicæ, quæ reali quodam influxu illa efficiant, an verò sint moralia tantum signa ex intentione & instituto Dei?* ℞. ad primum quæstionis membrum: Planetæ, ex quibus sunt Cometæ, habent suas qualitates quibus in hæc inferiora agunt, ergo

habent & Cometæ, quare pro ratione materiæ suæ & qualitatũ in aëre nostro efficiunt, v. g. frig⁹ intensum, calorẽ vehementem, morbos lethales &c. quare ex Cometa, qui fulsit anno Christi 1580. in *Borussia* ab Octobri usque in mensem *Ianuarium*, exortum putant Medici & Astrologi morbum Epidemicum, qui tunc ferè totum terrarum orbem peragravit & innumeros homines interfecit. Vide plura exempla memoranda *in theatr. Histor. Christ. Math. in vita Rudolphi II. pag. m. 821.* quod putant eo modo evenire, quo alieno in corpore humano nonnunquam cibo aut potu assumpto, varia quoq; in eo symptomata satis moleste & naturæ adversa oriri, experimur. Cometa anni MDCXVIII. quot Germaniæ & totius Europæ gravissima incommoda, quot Provinciarum vastationes, quot urbium eversiones, quot hominum interneciones, quam fœdam à ferro, fame & peste regionum vastitatem quasi præsagierit, quis audet negare? quia tamen exacta ut Planatarum, ita & Cometarum virium in hæc inferiora cognitio nondum cuivis mortalium concessa, nec singulorum hominum temperamenta omnibus sunt conspicua, ideo recte statuimus, quæ determinatè effecta à Cometis prænunciantur, ea à nemine mortaliũ exactè aut certò præsciri posse: sed hæc omnia humani ingenii sphœram longissime excedere: quare rectè hic concludimus puto, quod Cometæ haberi non possint signa determinata certorum malorum, v. g. pestis, bellorum, mortis Principum: hæc incerta, falsa, vana sunt: in mores & voluntatem hominum necessariò huc vel illuc inflectendam astris nihil licet: inclinant, non necessitant: affectuum propensio ab animo potest reprimi: & cur naturaliter Cometa Principum potius mortem, quam aliorum denuntiet: determinatam rerum futurarum veritatem Deus sibi soli reservavit. Omne signum quà signum notum sit oportet: ast quo discrimine, quâ ratione hominibus Cometes

notat

notat hoc potius quam illud malum: non ergo temere hic conjecturandum certum malum, pestem, bellum, ruinam, mortem, &c. ne quis pedem inferat in ea quæ non vidit.

XXV.

AD secundum quæstionis membrum hoc putamus esse respondendum: tutissimum esse statuere, ex ordinatione divina Cometas ratione nostri præter naturalem suã caussalitatem relationem quandam accepisse præter aut supernaturalem, ut de iride jam supra dictum est: quare per prodigia hæc & portenta naturæ, Deus nobis iram suam & singularia quædam ejus effecta vult significare: Ita enim nobis in sacris literis hoc genus prodigiorum, ut generalia signa iræ divinæ proponuntur. *Ioel.2. v.32. Actor.2. vers.19.20.* imo si elementa ipsa, aves, pisces, bestiæ & aliæ creaturæ, loquuntur ad hominem, eumque erudiunt *Iob.12.v.7.8. Enimverò interroga quæso jumenta, & docebit te illorum quodque: aut volucrem cœli aut indicabit tibi: aut confabulare cum terra & docebit te: etiam enarrabunt tibi pisces maris. Quis non cognovit ex omnibus istis manum Iehovæ facere illud:* quis non crederet, tam rara Dei opera, Cometas etiam loqui? cur hos tacere existimemus? cur non multo magis hos tanquam extraordinarios iræ divinæ præcones suspiceremus? Quando ergo jam iræ & judicii divini significationem habent, hoc tamen animadvertendũ, Cometas includere conditionem pœnitentiæ semper quæ ubi succedit, judicium suum Deus clementer suspendit: quare horum malorum signa sunt, non absoluta, necessaria, perpetua, verum contingentia ex hypothesi manentis pervicaciæ & obdurationis hominum: hæc enim solet esse natura omnium comminationum divinarum, quæ tum demum in nervũ erumpunt, cũ fides & pœnitentia hominum deplorata est.

XXVI.

AT objicit hic nobis Vir doctissimus, Cometas esse in

sese

ſeſe ἀδιαφόρους & indifferentes, & per ſe nec bona nec mala portendere. Ita etiam *Scaliger* ſentit, *de ſubtil. Exercit.* 79. §. 2 *Multi*, ait, *Cometæ à nobis viſi, quos nulla usquam in tota Europa ſubſequuta eſt pernities mortalium: multi clariſſimi viri ſuo fato functi ſunt, multi everſi principatus, peſſumdatæ familiæ illuſtriſſimæ ſine ullo cometæ judicio.* ℞. dictum hoc non probamus, nec Scaligeri ſeculo ullum apparuiſſe Cometam credimus, quem non excepêre varia mala: quod probamus facilè ex iis quæ *Edo Neuhuſius ſcribit lib. 2. fatid. ſacror.* ſeu *de divinâ futur. prænunt.* nam ſi conſiderantur ut naturæ opera, & ita naturalem & neceſſariam ad ſua effecta habent relationē: vel ut ſigna iræ divinæ, & ita ſupernaturalem & arbitrariam quandam ad extraordinaria quædam iræ divinæ effecta habent reſpectum: & ideo in aëre perturbationem quandam cauſant ſatis malignam, unde inſignes poſſunt ſequi morbi, febres, peſtes: & vi ſupernaturalis relationis horrenda quælibet iræ divinæ effecta iis ſignificantur: nec tamen hæc continuo, ſemper, ſimul cum ſuo auctore apparent. Sic Sol ſemen in terram projectum calefacit quidem, & vires ſuas circa illud mox exſerit: aſt non continuò extra terram fructus apparent: ita Cometa primo ætherem, deinde aerem, poſt homines afficit. Ita iris jam ſignificat, mundum non amplius aqua periturum. Statio Solis in medio cœli interitum hoſtium Joſuæ, retrogradatio verò ejusdem, ætatem Hiskiæ ad quindecim annos productum iri olim notabat: ita futura in cœlo prodigia noviſſimi judicii prognoſticon eſſe ſacris literis conſtat. Non etiam negamus, multa ſæpe proſpera eodem tempore, multa etiam adverſa non viſis Cometis evenire: non enim cometæ ſemper ſunt omnium malorum prænuntii: imo planetæ tum adverſorum tum proſperorum cauſæ eſſe poſſunt: cometæ verò malorum tantum, idque tam naturaliter, quia ſunt planetarum excrementa quædam & effluvia: tum

ſuper-

ſupernaturaliter, ſignificatione morali, quâ ea tanquam ſigna prævia portendunt & prænuntiant.

XXVII.

CONcludimus ergo Chriſtianis Cometas obſervare & notare licere, ut rem maximè ominoſam: Regius Pſaltes ex ſtellarum & ordinariorum operum Dei intuitu in laudes conditoris erumpit. *Pſal. 8. v. 4. 5.* cur non eodem fine extraordinaria hæc Dei opera mortalibus ſint conſideranda, ut peccata ſua agnoſcentes, quibus ira Dei accenſa eſt, reſipiſcant, ad Deum revertantur, ejusque opem & gratiam ſedulò implorent. An Philoſophiam, an Aſtrologiam veram damnat Deus, quæ in Solis, Lunæ & aliorum ſiderum & corporum cœleſtium contemplatione occupata eſt? annon hujus Abrahamus, Moſes, Salomon, & alii viri ſancti fuêre pertiſſimi? annon hæc, quatenus via phyſica & naturali ratione procedit, eſt digniſſima, non vana aut ſuperſtitioſa doctrina, quæ etiam ſacræ ſapientiæ quam maximè ancillatur, quum gloriam Dei enarret. *Pſal. 19. v. 2.* Rectè *Calvinus*: *Scientia Aſtrologiæ eſt nobilis & mathematici omni honore digni: ſi veram & germanam Aſtrologiam ab iſta ſortilegorum ſuperſtitione ſciamus diſcernere.* Hæc adulterina & fallax, vult mores & valetudinis conſtitutionem informare, quid ſcilicet in vita alicui ſit eventurum? quando & quomodo quis ſit moriturus? ſed hoc nil niſi mera temeritas eſt: perſonati illi Aſtrologi, auribus implendis, exhauriendis verò loculis ſunt idonei: ante proſperos eventus curioſos vento paſcunt, & eos pro ſuo arbitratu emungunt: fruſtra prædicunt quot uxores aliquis ſit habiturus? imo peſſime divinationem inſtituunt de omnibus conſiliis & inſtitutis: nec permittunt aliquem equum vel mulum adſcendere, niſi bona via ab aſtris impetrata; Hi imperium in univerſum mundi ſtatum ſibi arrogant & à cognitio-

ne providentiæ divinæ nos arcent; quare distinguenda vera Astrologia à falsa: distinguendus usus moderatus & abusus: vinum qui laudat, non ideo ebrietatem debet laudare: vera astrologia omnem superstitionem tollit, quam deliri isti & amentes reducere conantur ex prædictionibus suis, quæ nulla recta ratione, nulla artis scientia constant, & ob hanc causam, incerta hæc si quis postulat ratione certa facere, nihilo plus aget, quam si det operam, ut cum ratione insaniat, quia nulla nec rationis nec veritatis species istis Chaldæorum prædictis continetur. Hoc studium Deus prohibuit *Deut.18.* Ne quis inveniatur inter vos divinans qui divinet, neque dierum observans, neque augur, nec magus, nec incantator qui incantet, nec consulens Pythonem nec sortilegus, nec mortuos interrogans: hujus criminis auctores omnes extremo supplicio damnantur. *Levit.20. Ephesii* simul atque ad Christi religionem adducti sunt, libros omnes suos exussêrunt. *Actor.19. vers.19.*

XXVIII.

Ex hisce jam facilè apparet, quid respondendum sit ad illa loca Scripturæ objecta *Deut.18.v.11.* Item *Ieremiæ c.10.v.2.* *Viam gentium ne discatis, à signis Cæli non metuatis*: quibus verbis continetur suavissima Dei consolatio, quæ ad solam Ecclesiam fidelium & credentium pertinet, qui fœdus Dei servant, Christum arcem Dei apprehendunt & cum Deo pacem faciunt. *Esai. 27. v. 5.* illi quod timeant, non habent, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque præsentia neque futura eos possunt separare à charitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro, *Rom.8.38.* at cæteris tum gentibus tum hypocritis, qui in Ecclesia se vocant nomine Dei & Christi, sed in mendacio non in veritate, dictum est quod statim sequitur, *sed metuant gentes ab iis.* Aliter

ad

ad hunc locum respondet *Clar. Voetius Disp.* I. *de sign. part.* II. §. I. scilicet hic agi propriè non de extraordinariis sed de ordinariis signis & astris: non prohiberi hic omnem observationem astrorum, sed ethnicam tantum, magicam & superstitiosam. Quis ergo hinc potest concludere, S. Scripturam hic præcipere quasi stuporem ad omnia signa naturalia, admiranda, prodigia, aut omnium istorum Epicureum fastidium & Cyclopicum contemptum. Ita quoque ad hunc locum respondet *Morinus in præfat. Apol. ad Astrol. Gall. p. 34. Textus* inquit, *sequens apertè indicat, quod per signa cœli Propheta non intelligit, nec signa Zodiaci, nec constellationes cœlestes, nec astra. Sed intelligit idola corporum cœlestium, Solis, Lunæ, &c. ex ligno, auro & argento fabricata, quæ cultu divino à Babiloniis ut Dii venerabantur. Et hoc patet evidenter ex ipsius Prophetæ verbis, qui absolutè condemnat Leges populorum, sive religiones Gentium, non autem scientias: patet autem adhuc evidentius in ipsius Hieremiæ Epistola ad Iudæos in Babilonia captivos cap. VI. Baruch: ubi fusè talium Deorum vanitatem, quod ab illis non sit metuendum, nec iis serviendum, sed potius irridendum inculcat.* Nec obstat locus apud *Esaiam. cap. 47. v. 13.* qui expressè damnat malos mathematicos seu hariolos illos & impostores, & quidem conceptis verbis in Babyloniis & Chaldæis, qui exercebant has artes Genethliacorum & Mathematicorum. *Heideg. disp. de sign. cœlest. th. 10.*

XXIX.

HIc ergo finire placet disputationem hanc apologeticam qua adstruere conati sumus, *Cometas esse malorum prænuntios.* Sententia hæc etsi non omnibus sit placitura, nil curo: hoc assero, Cometarum effectorũ rationes cœlo ut causæ universali adscribendæ sunt, & nulla ratio dari potest, quare non ab astris & Planetis eventus naturalium rerum physice

causari possint? etsi ob inscitiam nostram illi cœlestes syderum influxus minus recte explicentur. Deus & natura nil faciunt frustra: Omnes cœli globi & stellæ cum planetis imprimis vim suam in inferiorem hunc terræ orbem designunt. S. Scriptura astra vocat δυνάμεις τῶν ὀυρανῶν: dominium iis in terra tribuitur *Gen.* 1. 18. *Iob.* 38. 33. A Lunæ operatione σεληνιαζομένους vocari ostendit *Doctiss. Spanheim. in dub. Evang. p.* II. *dub.* 33. §. 6. Si ergo Planetarum in hæc inferiora influxus, sunt iis convenientes vel disconvenientes, cur Cometæ, extraordinaria in cœlo corpora, Planetarum ut nos adhuc statuimus excrementa, extraordinarios & ordini consueto contrarios & malos effectus non possint producere? Imo etsi Planeta & Cometa nullam habeat agendi vim in hæc inferiora, an inde rectè concludere possemus, ergo nihil omnino portendunt & significant. Columna nubis, quæ præferebatur Hebræis ex Ægypto egressis, Pharaoni & ejus exercitui interitum comminabatur. Servator ipse prædixit, signa fore in cœlo, quibus homines præ metu, & eorum quæ orbi superventura sunt, exspectatione exanimatum iri prædixit. Quo fine *Ioëlem* ultimis temporibus Deum ostenta in cœlo & prodigia in terris editurum vaticinatum fuisse credimus, si non sint malorum prænuntia? Qui Cometis nihil boni vel mali prorsus portendi putas, quæso interroga animum tuum, annon cum horrore aspicias horribilem illam caudam? annon hoc omnibus nobis quasi natura est infixum: ob quam rationem hoc vis potius, vanæ gentilium superstitioni quam internæ mentis virtuti & insitæ notioni quam ἔννοιαν vocant, attribuere? quare omnem ad horrenda hæc cœli spectacula motum non magis quam ipsius conscientiæ vim, animis nostris possumus expellere? Non tamen ideo metu & timore animi piorum excruciantur: prospiciunt mala, non tamen timent sed abscondunt se *Prov.* 22. 3. &c. media adhibent malo avertendo;

vel

vel ſi averti non poſſunt, muniunt fide animum, ne noceant. Doleo ergo eſſe inter Chriſtianos qui Cometarum ſunt irriſores & contemptores, qui ab eo tanquam naturæ opere ordinario, nil mali nobis portendi aut prænunciari publicè declamant. Quo hæc omnia ſpectant, niſi ut ſecure peccatis indulgentes ſolicitudinem omnium malorum, animis ſuis prorſus excutiant mortales, atque adeo iram Dei graviſſimam & juſtiſſimam, jam omnino variis ſeſe teſtimoniis terrâ cœloque micantem exaſperemus? annon ita ad æmulationem provocatur Deus? Diſcamus ergo timere horrendi ſideris creatorem: incurvemus nos domino, proſternamus nos vera pietate, deprecemur iram ejus reſipiſcentia, precibus, fide, charitate: *Excutite vos*, ait, *Zeph.* II. *v.* 12. *cum nondum exequitur decretum, cum nondum invadit vos dies iræ Iehovæ. Quærite Iehovam omnes manſueti terræ, qui jus ejus operantur; quærite juſtitiam, quærite manſuetudinem, fortaſſe abſcondemini in die iræ Iehovæ.* Atq; hæc eſt noſtra de Cometis ſententia ſcripta ex fide, non oratoriè, quia hic omnes ampullas & τραγωδήματα aſpernamur: quæ vera credimus, verecunde voluimus affirmare: plura non addo, ne & in nos JCtos torqueri poſſit aptisſimè illud, quo ab ancilla ſua Philoſophus quidam jam olim deluſus eſt, qui cum & mentem & oculos in cœli plagas majorem in modum intentos haberet, neque quod ante pedes eſſet animadverteret: falſo impreſſo veſtigio prolapſus, in foveam incidit: tum illa ridens, *Sane inquit, nihil enim utilius, quam ea, quæ propius ad nos pertinent, animadvertere.* Quare *Profeſſor Pandectarum*, offero præſtantiſſimis Dominis Studioſis rurſus Collegium ad Pandectas noſtras, examinatorium, explicatorium, etiam Diſputatorium: aliis liti bus diſceptandis,

Nihil vos amplius moror. VALETE.



COROLLARIA

D.D. RESPONDENTIS.

I.

An universalis erit resurrectio omnium omnino hominum qui vixerunt. Affirm.

2. *Non necessaria bella sunt mera homicidia.*

3. *Hypocritæ, veritatis assertores, acerbissimè solent persequi tanquam turbatores pacis.*

4. *Qui non est osor avaritiæ est socius furum.*

5. *Vi stuprata pœnitentiam Ecclesiasticam sustinere non debet.*

6. *Advocatus contra suum Principem non potest postulare.*

7. *Carnifex proprium suum filium per Magistratus sententiam ad mortem condemnatum, jussu Magistratus licitè interficere potest.*

8. *Rectè olim dixit Ludovicus XII. Galliarũ Rex.* Etsi cum Diabolo bellum gerendum, tamen prius eum audirem.

9. *Non est viro forti curandum, quid de eo viri non viri loquantur, sed quid veritas ipsa: si ergo quid objiciatur falsi, contemne, veritati confisus: si quid veri, ad emendationem tuam adver-*

versarii convitiis utere: ulcisci cogitas? cave, moneo diligenter, nam secundam & tertiam patieris injuriam, ac studio perdendi alterum ipse te perdes. A. B. de jur. & just. us. & ab.

10. *Non qui audit sed qui facit convitium miser est.*
11. *Testimonium Patrum nil valet ad ingenerandam fidem.*
12. *Datur Physiognomia, ars utilis & necessaria.*
13. *Curatio Eleemosynarum an ab Ecclesia transferenda in politicos? Neg.*
14. *Infantibus S. cœna olim non rectè data.*
15. *Cœna privata & solitaria non introducenda.*
16. *Nec Magistratus aut quilibet privatus hanc administrare potest.*
17. *Astrologi ex astris certò futura prædicere possunt.*
18. *An templis N. T. insit peculiaris sanctitas & efficacia ad orationes privatas. N.*
19. *Rectè Reformati à terminis Clericorum & Laicorum abstinent.*
20. *In cultu divino N. T. hodie nullus est usus altarium.*
21. *Templa præcisè exstruere hodie ad Orientem est Judaizare.*
22. *Templa apertione capitis non sunt honoranda.*

24. Re-

23. *Reſervatio mentâlis in juramento non eſt licita.*
24. *Homines ſub capitali pœna non debent cogi ad profeſſionem religionis, quam interiori animo probare non poſſunt.*
25. *Catecheſis non eſt verbum Dei.*
26. *Canones Eccleſiæ parem tamen auctoritatem cum catecheſi non habent.*
27. *Theologi Pontificem ſummum Anti-Chriſtum appellantes, non committunt crimen læſæ majeſtatis.*
28. *Clerici in ipſum Imperatorem poſſunt crimen læſæ majeſtatis committere.*
29. *Conjugium non eſt res Sacra.*
30. *Magi Chriſtum inviſentes non fuêrunt Reges.*

F I N I S.

